

4365  
DE  
RVRICOLARVM LIVONIAE  
STATVSANO ET  
MORBOSO

GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
IN ACADEMIA LIPSIENSI

CONSENSV

D. VIII. OCTOBR. A. R. S. MDCCCLXII.

PRO GRADV DOCTORIS

DISSERIT

AMBROSIUS BERGMANN

RIGA - LIVONVS

MEDICINAE BACCALAVREVS

---

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

list. Russ.

538,15<sup>f.</sup>

H. Russ. 240

Geographia medical

宋史卷之三

Имя моё я дам в азбуке


モダニズムの歴史

MEDECINS DE LA PAIX

ЛУЗОУТІЯ БАНГОДІТО. Ж

VIR O  
PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO QVE  
BALTHASARI BERGMANNO  
PHILOS. MAGISTRO ET VERBI DIVINI IN DIOECEST  
NEOMVLENSI, ZARNIKAVIENSI ATQVE VESTEROT-  
TIENSI MINISTRO LONGE MERITISSIMO  
PATRI OMNI PIETATE DEVENERANDO  
VITAM, TRANQVILLITATEM,  
FELICITATEM, NI  
OPTAT, PRECATVR, OMINATVR

HASQVE  
STVDIORVM SVORVM MEDICORVM  
PRIMITIAS INNIVRIS  
IN MONUMENTVM  
ANIMI  
PRO INNVMERIS IN SE COLLATIS BENEFICIS  
GRATISSIMI  
D. D. D.  
SEQVE SIMVL ET SVA STVDIA  
IN POSTERV M QVOQVE  
COMMENDAT  
AMBROSIUS BERGMANN.



DE  
RVRICOLARVM LIVONIAE  
STATV SANO ET MORBOSO.

---

---

§. I.

*Ratio Instituti.*



uanta sit varietas morborum, non solum pro diuersa ratione singulorum hominum, sed etiam gentium et regionum, nemo non intelliget, qui secum cogitat, quam insignis rerum in quibus verfamur, sit diuersitas, et quam arctissimam eae habeant coniunctionem cum indole et structura corporis humani. Cum enim innumerabilis globi Telluris sit diuisio et varia locorum conditio, atque tot fere vitae genera, quot sunt regiones, quid mirum si adeo discrepat modus non tantum aegrotandi, sed etiam valendi. Generales igitur, quibus recta valetudo conseruetur et labefactata restituatur, cautiones, omnino ex natura locorum, aequae ac indole hominum, erunt defumendae. Hanc normam adsciuiimus cum patriae causam gerere nobiscum constituerimus. Est illud quidem sententiae, de qua Celsus in praefatione disputat, Empirorum nimirum, qui dicunt: differre pro natura locorum

A 3

gene-

genera medicinae, aliqua ratione consentaneum; sed tamen prorsus ab eis dissentimus, quod illi Empirici, inde velint probare, vanitatem medicorum eorum, qui ratiocinando et cogitando ex ipsa humani corporis natura morbis occurtere student, quam sententiam semper repudiauimus. Statum itaque sanum et morbosum Liuoniae incolarum tractaturi, non possumus non, alios, qui pariter de hac re egerunt commemorare. Inter omnes vero optimo iure referendus est, Vir Ill. I. B. a FISCHER Celeberrimus Rigensis Practicus, et in Russia quondam Archiater dignissimus, qui in libro oeconomico <sup>a)</sup> praesertim in additamentis de peste eiusque apud Liuonos agricolas obseruanda curatione, ita exquisite et praestanter egit, vt omnia expusisse videatur, quae generales hasce de sanitate et morbis inter nostrates cogitationes illustrare possent <sup>b)</sup>. Placet autem in hac tractatione hunc sequi ordinem, vt primo rationem habeamus patriae situs, et videamus qualis sit climatis atque atmospherae status, quae constituunt sanitatis et aegritudinis causas principes et generales. His autem cognitis ad alia specialiora progrediemur, ad res nimurum sic dictas non naturales, et ruricolarum vitae genus, quae singula tanquam omnium morborum causae habentur et existimantur occasio[n]ales et praedisponentes. His enim praemissis, via nobis sternitur ad illustrandum, cur in hos vel illos morbos facilius incident, ad alios vero minus propclives reperiantur. Considerandi itaque erunt morbi non tantum his ipsis familiares, sed quoque inter ipsos minus frequentes et prorsus ignoti, interpositis remediis inter nostra-

a) Liefländisches Landwirthschafts-Buch, auf die Erdgegend von Lief-land Est- und Curland eingerichtet. Halle in Magdeb. 1753.

b) Nec taceamus Diff. inaug. Cl. Sutteri Lipsiae 1753. habitam, qui varia de accolis maris Baltici tradidit, speciatim nostratis tribuenda; neque etiam praetereamus Ex-

per: Koerberi practicam tractationem, Verfuch, die gewöhnlichsten Krankheiten, bey dem gemeinen Mann und besonders bey denen liefländischen Bauern, auf eine wohlfeile Art zu heilen. Revall. 1761. utpote in qua morborum inter Liuonienses vulgarium curationes vberrime exposuit.

noſtrates vſitatis. Tandem ex triplici therapia generalis fonte, diaetetico, chirurgico et pharmaceutico, cautelas quasdam ſubiungemus, vt sanitas conſervetur, et perdiſta quando accerſimur, rite reſtituatur.

## §. 2.

*Liuoniae ſitus atque climatis ratio, generalis diuīſio atque confinia.*

Liuonia in ſeptentrionem porrecta, ſupra quinquagesimum et quintum latitudinis borealis ascendit gradum, et verſus quinquagesimum et septimum poliarctici extenditur. Eundem itaque cum Dania fere habet ſitum, niſi quod verſus Orientem magis conuerſa proſpectet Liuonia, Dania vero occidentalis magis deprehendatur. Quod ad clima pertinet, non adeo inſigniſharum prouinciarum erit diſcrepancia, cum fere vtraque intra vndeſimum et duodeſimum clima pateat. Spatiū enim intermedium, inter duorum latitudinis graduum centra, clima appellatur.<sup>c)</sup> Quilibet vero ascendens gradus, vbi definiſit, efficit, vt longiſſimus dies ad horae dimidiā partem augeatur. Tali ratione euenit, vt, cum Haffniae, longiſſimus dies per 17 atque dimidiā horae partem duret, in patria vrbe, (gradum vnum circiter polo propiore) longiſſimus dies octodecim horas impleat, et ſic horae dimidiāe faltem efficiatur differentia. Rigae nimirū, quando longiſſimus eſt dies, hora tertia matutina praeterlapſa, et minuto decimo tertio horae ſuccedentis, ſol emerget, hora octaua vero et nonae vespertinae minuto quadragesimo septimo deſcendit. Sic itaque hyperboreae regiones, cum hiemis tempore haud ita diu per diem ſole reficiantur, aestate tamen, proloŋato eius gaudent curſu, vt omnia, quae terra ibi gignit, non obſtantē climatis feueritate, pubefcant. Ad diuīſionem vero quod attinet, Liuoniam ſeptentrionalem Estoniam diētam,

a Meri-

c) Spatiū iſtud conſtituitur, ducta. Conf. Cel. Büſchings Erd-Beschreibung. I Th. Einleit.

a Meridionali, siue Liuonia stricte sic appellata distingui-  
mus. Nulla tamen exinde oritur singularis discrepantia,  
nisi quod illa minorem totius ducatus, partem haec vero ma-  
iorem constituat. Vbi vero ad confinia patriae pro diffe-  
rentia plagarum respicimus, in primis commemorari me-  
rentur Russi, quorum imperium insigne Moscouiticum ap-  
pellatum, totum Latus Liuoniae orientale constituit. Huic  
adiacens Curonorum independentium ducatus, australe si-  
stet. Notentur autem etiam maria, Balticum in primis in-  
periosum, quo a Suecis separamur. Ibi solem patrum sub-  
mergi, et ex illo tandem Finnicum sinum septentrionem  
Lapponum atque Finnorum nobis sistentem, oriri videmus.  
Tali igitur situ, tum quod ad terras, tum quod ad coelum  
spectat, Liuonia gaudet.

## §. 3.

*Atmospherae ratio.*

Quodsi aeris mutationes coelique, quo tegimur, attendi-  
mus conditiones, varia pro temporum non solum, sed quo-  
que plagarum diuersitate nobis obueniunt. Modo enim con-  
surgit frigidus aer et siccus, modo se vertit in pluuiosum et  
relaxantem; interdum calidus regnat atque siccescens;  
non nunquam humidus increbrescit et austerus. Quoniam  
vero non tantum polo, sed quoque orienti <sup>d)</sup> magis appro-  
pinquat Liuonia, plerumque frigidius ibi obseruatur coe-  
lum, attamen non minus siccum. Hiemali enim tempore,  
ob poli borealis vicinitatem, (cum tantum triginta et tres  
vel quatuor latitudinis intersint gradus) praeter subfola-  
num, asperrimi plerumque regnant aquilones. Hi vero,  
ob admixtas partes glaciales sacci potius et adstringentes,  
quam humidi et relaxantes inueniuntur. A meridie vero  
admotus aer siue austus, non quidem natura sua, ut qui a  
gelido polo antarctico spirat, attamen occidentali et aduen-  
titio

<sup>d)</sup> In omnibus enim ortui Solis propioribus terris, rigidius semper obseruatur coelum, quam in occiden-  
talibus regionibus. V. Blisching. l.c.

titio calore, dum torridam Zonam permeat, feruidus ad nos accedit, siccus magis est, atmospheram nostram ita rarefacit, vt syluae nonnunquam inardescant, vti recentissima annorum 1747 atque 49.<sup>e)</sup> exempla prostant. Cum quoque maria non insignia transcurrat iste, nisi cum Zephyro coniunctus ad nos accedit, aridus omnino erit censendus. Quod ad Zephyrum siue Fauonium attinet vapores ex Baltico et Germanico mari attrahens, omnium est humidissimus, quando ad nos adfertur; quod tamen haud adeo erit, quando septentrionem simul appropinquat. Eurus denique siue Subsolanus, totam peruolans Asiae late patentem terram, Siberiae nimirum et Tartaria regna, siccus plane et vaporibus destitutus obseruatur<sup>f)</sup>). Haec tenus in generales atmospherae nostratum conditiones inquisiuimus, quae vero cuncta pro diuersis anni temporibus, tempestatibus, aliisque coeli mutationibus sunt limitanda. Plerumque autem hieme, ultra quinque menses faepius durante, frigidus aer dominatur, interdum tamen per omne hoc tempus siccus idem atque serenus magis obseruatur. Aestas quidem calida est atque ob hanc ipsam causam molesta, sicca vero plerumque et raro pluuiosa euadit; nulla habita ratione Baltici Maris, niuiumque abundantiae, quas faepius sex mensibus post nondum videmus solutas<sup>g)</sup>).

## §. 4.

e) Liefl. Landwirthſchaft. in additamentis.

nia ratione atque ventorum directione exposuimus descriptionem, iam aliqua ratione Ouidius in Me-

f) Hanc quam de aeris in Liuoniam. lib. I. tradidit, vbi cecinit:

tanta est discordia fratrum.

Eurus ad Auroram Nabathaea que regna recessit,  
Persidaque, et radiis iuga subdita matutinis.  
Vesper et Occiduo, quae littorae Sole tepeſcunt,  
Proxima sunt Zephyro: Scythiamque septemque trionem  
Horriſer inuafit Boreas: contraria tellus  
Nubibus affiduis pluuioque madescit ab Austro.

Tantum diſſentio ratione Austri, tum ſiccum eſſe, declarauimus.  
quem humidum ille praedicat, ob Italiae in Mari Mediterraneo fi- g) Liefl. Landwirthſch. I Th.  
tum, nos vero ob Liuoniae fi- I Abschn. §. 42.

## B

## §. 4.

*Maris Baltici effectus.*

Mare Balticum accolis suis speciales largiri determinations et in iis varios proferre effectus, haud quidem propter vapores, quos cum aere communicat, quoniam id anni tempora pluuiosa atque tempestates abunde demonstrant, sed potius ob salinas hisce imprimis admixtas particulas aquoris, vix indubitatae prorsus sententiae speciem obtinebit, si chemicas easque curiosas euoluimus auctorum disquisitiones, qui generales marium particulas constitutivas, indagarunt. Illustrissimus Comes M A R S I L I V S in egregio suo de mare libro <sup>h)</sup>), tres in primis laudat particularum species, bitumen, tartarum atque salem, quas non solum aquosis admixtas, sed quoque plerumque in striarum forma, mari supernatantes obseruauit. Liquidum istud supernatans varie coloratum atque ex salinis, oleosis et terrestribus particulis coactum atque mari amaritiem suam praebens, ex cavernis et cuniculis metallorum, ad superficiem maris adscendere, experimenta docent.

Sal itaque, quod mari ineſt, (siquidem istud non tantum a chemicis lege artis elicetur, sed quoque ex subterraneis cryptis profluens a natura vterius praeparatur atque artefactum Sal commune appellatum nobis praebet) a solis radiis solutum atque leuius redditum, vaporibus admisceri, aequilibrio atmospherae sublato procellis et flatibus in aere distribui atque non solum hominibus, quando per pulmones intravit, antiputredinosam suam vim largiri, sed quoque ipsius atmospherae depravationi resistere, atque forte vegetationi plantarum inferuire credunt. Cum tamen de experientia auctorum, falsis huius originem ex cavernis subterraneis deruantur, dubitare nequeamus, nec sal fossile, quod in Polonia aliisque terris effoditur, aliud esse videatur quam minera ipsius Salis marini, limitandam potius esse illorum sententiam, quam concedendam crediderim;

quo-

h) Histoire physique de la Mer. fol.

quoniam acida mineralia vix vñquam in auram abeunt, niſi maximo caloris addito gradu, qualis ſub aequatore, nedum in vicinia poli nunquam fuit obſeruatus. Quamuis alii bituminis ope ſal hocce leuius reddi poſſe contendunt, vt vaporibus admixtum in aera ascendat, hoc tamen neutiquam fieri poſſe exinde appetet, quoniam aqua marina, licet fortiori igne aquofis atque etiam bituminofis quibusdam particulis pri- vetur, ſalem tamen relinquit et ſub forma fixa exhibet. Neque ſub aequatore calor adeo vehemens eſſe potheſt, vt ſal marinum bitumini ſiue volatili huius principio admixtum leuius reddi queat, nedum illud in Baltico mari ab aequatore remoto, effici poterit. Alteram potius ſenten- tiam inde deriuare poſſem; nimirum quod radii ſolis con- centrati magis magisque bitumen resoluant, ſal vero libe- rius redditum aquofis particulis immifeatur; ex inde enim patet, cur maria aequatori et ſoli magis expoſita, qualia ſunt oceanus orientalis atque occidentalis, aethiopicus atque pacificum mare, falsiorem acrioremque praebent ſaporem, quam alia polis appropinquantia et ſub illis fluctuantia, Balticum nimirum cetera, id quod, ne in corruptionem abeant, neceſſarium erat <sup>i</sup>).

## B 2

## Spe-

i) Forſan alijs ſaliſ ex mari de- defendens transpirationem nobis obii- ciat, experientiam auctorum, qui demonſtrarunt, ſuperiore maris partem, quando deſtillata fuit, mi- norem praebuifſe ſaliſ marini qua- titatem; fundum vero maiorem, pa- ri ratione ſcaturigines ex ſuperficie maris prouenientes, inferiorem pau- lulum quantitatem ſaliſ communis exhibere, quam aliae ex fundo ma- ris profluenteſ. Hinc partem ali- quam ſaliſ a ſolis radiis leuiorem redditam in auras abiiffe et vaporib- bus ſuiffe admixtam crederet. In-

terim quanquam experientia illa au- torum neganda non eſt, teste im- primis Ill. *Marſillio*, tamen vix il- lud quod inde volunt colligere, va- lere videtur, quoniam fundus ma- ris ſtratis atque cuniculis propior, maiorem copiam ſaliſ continere de- bet, quam ſuperficies remota; et quia ſal iſtud ex maris ſuperficie de- ſtillatum, minori copia quidem, ſemper tamen maiori acrimonia praeditum, quam ſal ex fundo eli- citum, repertum; parique ratione ſal commune ſiue culinare ex ſuper- ficie maris profluens et praepara- tum

Speciales itaque Baltici Maris, qui ad Liuoniam in habitantes prouenire possunt effectus, erunt humidi vapores, Zephyris admoti, vix vero illis admixtae salinae maris partes, potius leuioris bituminis forsan exspirationes, atque excrementorum ad littora maris eiectorum exhalationes. Excrementorum enim illorum tanta copia autumnali imprimis tempore in multis locis reperitur, vt stercorandis agris inferuant<sup>k</sup>). Eam ob rationem Baltico mari minorrem quidem falsedinem, sed tamen grauitatem specificam maiorem ob terrestrium nimirum particularum abundantiam adscribunt. Quare Cl. SV T T E R V S<sup>1</sup>) quoque, ob singularem grauitatem specificam, Balticum mare naues leviores non admittere, nisi antea sint ponderosiores factae, annotauit.

Quando itaque sol radiis suis mari nostro incumbit, sal liberatur, et a terrestribus atque crassioribus bituminis partibus purgatur; terrae huius alia pars praecipitari videtur, quippe quae tartarus appellata concretionibus tartareo lapideis, anfam praebet<sup>m</sup>); alia vero cum bitumine coacta et leuius reddit ad littora maris eiicitur, hinc non immerito Illustr. a F I S C H E R aliquam pestis rationem quoque ex istis maris excrementorum exhalationibus deriuauit<sup>n</sup>).

### §. 5.

#### *Agrorum natura, aliaeque terrae Liuoniae conditiones.*

Quando agrorum indolem, terraeque in Liuonia perpendimus vim atque naturam, in vniuersum siccum potius, nec adeo pingue<sup>o</sup>), temperatum magis, quam frigidum, et fer-

tum magis acre, alterum vero minus interim amarum magis esse folet; id quod itaque solis efficaciam quoad solutionem salis a bitumine et aliis partibus, non vero quoad volatilificationem ostendit.

k) Liefl. Landw. I. Th. I. Abschn.  
§. 48.

1) Diff. de Statu sano et morbo-fo accolarum Maris Baltici.

m) Histoire physique de la Mer. Seconde partie.

n) Liefl. Landw. 2ter Anhang von der Pest. §. 9.

o) Lib. cit. 1 P. §. 45.

fertile atque fœcundum ſolum ibi eſſe, dici potheſt. Tantam enim copiam frumenti, et fecalis in primis agri noſtri reddunt, vt non immerito Liuonia granarium aliarum regionum appelletur. Secale autem, quod antequam teritur atque purgatur, in horreis calefactis fumo exſiccatur, ſic cum quidem eſſe videtur, non tamen ad corruptionem proclive ſed ſalubre atque egregiae cenſendum eſt (indolis <sup>P</sup>). Praeftantiora autem, quae ex ea terra producuntur frumenta, aestiuia funt; cantherina vero, calidioribus regionibus propria, ob climatis ſeueritatem haud ita bene ad incrementum proueniunt. Quamquam itaque aestiuī hordei grana maiora apud nos obſeruantur, tritici tamen cantherini minora eſſe ſolent<sup>q</sup>). Olera vero atque caeterae culinares plantae, omnino facilius atque melioris indolis plerumque, quam in calidioribus terris progerminant, id quod maxime de naſturtinis atque antifcorbuticis plantis et radicibus, ex quo genere funt raphanus, armoracea, allii genera cet. valet. In cauſam huius ſi inquifueris, ſequentem inveniri poſſe putabis: acidum nimirum vegetabile ex altera parte in calido ae pinguori ſolo, celerius transpirat, atque a phlogiſto aereo ſubtilius, quam in temperato noſtro redit; ex altera vero parte principium naſturtinis plantis inhaerens ſpecificum falino - oleofum a terra temperata, magis retinetur, nec ita celeriter euaporat. Praefertim quoque legumina, fabarum in primis atque piforum genera magnitudine fruges eiusdem generis, quae in aliis terris cre-

B 3

ſcunt

p) Quinque in primis ad fert Ill. 'a Fischer in Collectan. Breslau. anni 1726. rationes praefantiae fecalis in Liuonia, praे climatibus calidioribus.

1. quoniam ſolum Liuoniae ſiccum magis eſt, quam humidum ſiue pingue.

2. quia circa ſolſtitium aestiuum, quando ador matureſcere incipit, plerumque feruidiſſimus ſol et arida tempeſtas obſeruatur.

3. quia ex arboribus et ſyluis ex-

uftis multos agros adhuc praeparant, quarum cineres non adeo pingue largiuntur terram).

4. ob rem pecuariam ampliorem in Curlandia atque Lithuania, quam inter noſtrates minus ſtercorantur Liuoniae agri, ideoque corruptioni minus obnoxia praebent frumenta.

5. propter praeparationem fecalis in horreis calefactis, abundans humor eius ſubtrahitur.

q) Liefl. Landw. §. 41, p. cit.

scunt superant, et optimae quoque notae esse praedicantur<sup>r</sup>). Dolendum autem est dulce donum Bacchi, a climate patriae recusari, nec vbertatem adesse pomorum. Perficiis enim et armeniacis malis, aliisque fructuum horaeorum generibus aut prorsus caremus, aut illi aegre, propter gelidas gemmis erumpentibus atque arboribus ipsis noxias noctes, et propter cito praeteruolantem aestatem proueniunt; sub rigido enim cœlo acidus in illis succus a solis radiis difficillime coquitur et mitigatur, quia autumnus et rigidus aer citius prorumpit.

Praeterea Liuoniae terra plana magis, quam montibus obstipata et paludosa magis, quam arida conspicitur. Montibus autem, vbi deficiunt, substituuntur syluae, fluuii et lacus; hi vndique explicati, piscibus, eisque alibi ignotis quasi scatent<sup>s</sup>). Syluae vero feris abundant et volatilibus in primis innumerae diuersitatis. Ceterum prata vernali tempore herbis et floribus amoenissimis exornata et tanquam grauidata conspicuntur, hinc optima armentis nostris porrigitur alimenta, quae propterea plurimum pinguia et opima reperiuntur<sup>t</sup>). Hactenus igitur de patriae terrae indole, atque commodis quae clima nostratibus suppeditat. Non omnia quidem obtinere potuimus a prouida natura; hic enim segetes: illic veniunt felicius vuæ: Arborei foetus alibi; apparel tamen nos a natura haud fuisse neglectos.

### §. 6.

#### *Res non naturales, sanitatis atque morborum fons generalis.*

Cum itaque viderimus qualis sit natura patrii climatis, quae vis et indoles sit aeris et atmospherae, quos Mare habeat effectus, et quid agri valeant et producant, et sic desiderio

r) ib. §. 30.

vbi 40 circiter diuersa genera erant annotata.

s) Memini enim legisse apud patrem optimum catalogum piscium, in Liuoniae aquis natantium,

t) Non enim liquidi gregibus fontes non gramina defunt.

Virg. Georg.

derio elegantissimi vatis<sup>u</sup>) aliquo modo satisfecerimus, dicentis:

At prius, ignotum ferro quam scindimus aequor,

Ventos, et varium cœli praediscere morem

Cura sit; ac patrios cultus habitusque locorum;

Et quid quaeque ferat regio, et quid quaeque recuset.

iam vitae genus nostratum pro ordine sex rerum non naturalium erit considerandum, vt intelligi possit, qualis omnium rerum, quas supra recensuimus, sit effectus, quid inde fluat quoad sanitatem et quales inde oriantur morbi. Talem enim habent hae singulæ res cum corpore humano rationem, atque tantam inter se coniunctionem, vt hominem non aer tantum vel saltem alimenta nutriant, sed etiam motus nos sustentare debeat, quem quies excipiat et somnus: vigiliae postea et animi affectus, excreta atque retenta adeo vicissim agere et talem inter se habere solent nexum, vt nullus homo sit, qui aere et alimentis priuatus, vel motu destitutus, vel nimis exercitatus fuisset, vel animi motibus diu turbatus, vel somnum et vigilias, vel excreta tandem et retenta negligens, de firma atque integra sanitate gloriari possit. Eadem quoque C. S V T T E R I<sup>v</sup>) et originem et causas diuerfae inter homines sanitatis ex his deriuantis sententia est: „partes enim nutrientes (inquit) suppeditantur per „alimenta assumta; illarum vero qualitas et dispositio diuersimode determinatur, per aerem, motum, vigilias, animi „pathemata, excreta et retenta. Sic patet, sanitatem siue „decentem proportionem inter partes fluidas et solidas, diuersam esse pro sex rerum non naturalium ad corpus adplicatarum, ita vt partes fluidae diuersimode constitutas „et mutatae per res non naturales partibus quoque solidis, „diuersam concilient conformatiōnem, quae accommodata „sit, fluidis decenter mouendis. Haec vero non sanitatis solum, sed quoque morborum ratio est. Quod si enim vitae genus mutatum, mutatasque res non naturales perpendamus

u) Virg. Georg. L. I.

v) in Diff. de statu sano et morboſo accolarum Maris Baltici.

mus, non mirandum est, si quando nouos ingrauescere morbos, aliosque quondam frequentiores euaneescere videmus. Sic medici nostri de morbis conqueruntur neruosis, qui nostro aevo adeo copiosi sunt atque graues. In causas vero inquirentes, potum vitiatum, calidas nimirum sorbitiones plurimum contribuisse fatentur; hae enim primas vias et solidas partes quascunque relaxant, vim vitae et robur infringunt, simulque non tantum humores digerentes, sed etiam omnes reliquos attenuant, atque dissoluunt. Inde quoque fortasse purpura, puerperis in superioribus seculis incognita vel minus nota, inter nostras adeo est solemnis. Materia enim morbifica, tum ob vietum hodie lautiorem et acriorem, tum ob corporum languorem, ex tepidis saepius sorbitionibus ortum, ad peripheriam corporis affecta ibidem insidet, subigi tamen atque ulterius vrgeri nequit, sed viribus fractis ad centrum reddit, et vitam suppressit.

Laudatur veterum vitalitas atque virium magnitudo, nec illis imputatur, se posteros habuisse debiliores, cum ruralem magis viuebant vitam<sup>x)</sup>, atque exercitata praevalebat.

Quid; quod, si ex altera parte folidissimos atque eos, quibus medela adferri non poterat, antiquitatis perpendicularis morbos, quales Elephantiasis, Lepra, aliique fuerunt: Diaetae errores atque res non naturales neglectas illa mala dedisse, hoc fonte deriuata cladem in corpora fluxisse comprehendimus.

Itaque sanitatis non tantum, verum etiam morborum caufae ex rebus non naturalibus fluunt inque iis quaerendae sunt. His enim neglectis, caufae enascuntur occasioales, quae in corpore immanentes, sensim sensimque corpus a statu fano declinant, inde caufae praedisponentes et ex his tandem proxima morborum caufa fluit.

### §. 7.

#### *Aer ruricolarum consideratur.*

Quanta sit aeris in corpus nostrum vis et efficacia, optimo omnium perspexit, magnus ille medicinae dictator et parens

x) Cic. orat. pro Sex. Roscio Aemino. Plin. lib. 18. c. 13. adde Flor. cap. 26. lib. I. c. 11. 12. et Liuium Lib. III.

parens Hipocrates, qui, aerem occultum corporis esse cibum, existimauit. Et profecto quid, est quod nos, ex vtero vix exclusos illico nutrit, quodque nos alacres magis, magisque hilares reddit, quam grata, quam ducimus, aura. Idem imo iste, ipsius quoque varietatibus, non tantummodo temperamenta et hominum mores<sup>y</sup>), sed quoque omnes vulgares tribuit morbos<sup>z</sup>), idque non imerito: potestne enim communior causa morborum excogitari, quam illa, quae cum omnibus communicetur? De natura vero aeris et atmospherae in Lithuania, superius §. 3. in genere a nobis consideratae pressius nunc, ut pro anni temporibus eorumque mutationibus agamus, necesse est. Sed nec de vniuersalibus sub quauis climate, ab aere rurali prouenientibus agrestium praesidiis, noua praemittere animus est, quippe quae Cel. H V X H A M I V S in obleruationibus de aere et morbis epidemicis<sup>a</sup>) ita egregie atque prolixè exposuit, ut nihil nobis quam verba eiusdem subnectere incumbat.

„Ad rectam, enim ait, vtique valetudinem, tanti conduit „purum et apricum respirare aerem, vt absque eo in mor- „bis quam plurimis, vix vlla alia Medicina proficiat: quod „tam saepe annotauī, vt non possum quin, cum elegantissi- „mo poeta clamem:

o fortunatos nimium, suasi bona norint,

Agricolas!

„Quorum nempe et otia et negotia saluberrimis in agris per- „aguntur. Aura quippe rustica longe magis pura est, et „elastica, quam quae, infinitis vrbaniſ fordibus contamina- „ta, grauis admodum et insalubris euadit, aestiuo praefer- „tim tempore, cum solis ardor omnigenos excitat vapores. „Est insuper tunc frigida magis, ac halitu saluberrimo her- „barum spirituque terrae vegetissima, ad recrandas vires, „et pulmones expandendos, fit idonea maxime, nec vero „pinguibus foedata vaporibus, vel minime, perspirationi „afficit; quin eam promouet plurimum. Tanta hinc nos „perfundit alacritate purus pergratus ruris aer, tum et respi- „ratio-

y) Hippocr. de aere et aqua &c.  
ib.

z) idem in epidemior libr.  
a) Edit. Lond. 1752, vol. I.

„rationi, et perspirationi simul inferuit! De solemniori itaque incipiimus agere Liuoniae aere, aquilone, atque omnium saluberrimo ex Hipocratis opinione<sup>b)</sup> quo quando autumnus seuire cessauit, plerumque per totum fere hiemale tempus nostrates gaudent atque reficiuntur. Serena ista substantia, spiritus nostri, (vt G A L E N V S ait) substantiae, quam reficit, simillima, subtilia haud quidem, attamen valida magis et robusta, pinguia haud quidem, densa potius et constricta corpora reddit. „Omnia enim quae saltem attingit corporis „vasa, aer ille, coarctat; idem iste annulus, quem aestate „vix digito induis, hyeme frigida excutitur facillime: sup- „puta iam a contractione paruulae istius partis, quantum „patiatur totum <sup>c).</sup>.. Non solum vero solida roborat, et ad fortiorem contractionem disponit, sed quoque *globulos sanguinis accumulat et compingit, tota massa humorum velocius mouetur, secretiones atque excretiones promouentur, omnes functiones animales euadunt validiores et corpora redduntur alacriora.* Quae omnia eo felicius obtinentur, si corpus bene mouetur, cibisque aptis nutritur. Neglectis vero victus et motus regulis, in minimis vasculis lentior sequitur humorum progressus insimulque ob fluidas igneasque per corporis peripheriam auolantes particulas, stases, obstrukciones et grauiora ex inde mala oriuntur.

Cum vero ob aquilones, subuenientibus nonnunquam subsolanis, plerumque regnantes (§. 3.) frequentissime sub nostrocœlo cum frigore coniuncta sit siccitas, isti proinde venti „vnita vi, effectus edunt maiores; adeo vt, dum con- „spirant vna, saepe demum subsequatur vis vitae, quam vel „par est, fortior; quae tandem proinde suis et ipsa viribus „ruit. Tam validus enim solida inter et fluida oritur attri- „tus, tam rapidus sanguinis cursus; corrugata insuper a fri- „gore cute, tanta dissipatio humidissimi, crassissimi autem „retentio, donec fit crux acris valde et maxime viscosus: „dumque in vasa vrgeatur inepta, morbos omnigenos in- „flammatorii generis parit <sup>d).</sup>

Solu-

b) Hip. de morb. sacro libr. Sect. 15.

c) Huxham. l. cit.

d) id. ibid.

Soluitur quidem hiems, frigora subinde mitescunt, redeuntque grama campis, quando remissiores spirant Zephyri, communes nuncii veris; cum vero maris, fluorum regelantium, atque paludum stagnantium repleti sint vaporibus, grauissimis nonnunquam morbis materiam afferrunt. Id quod quoad pulmones non solum, sed etiam quoad totum corpus, cuius attingunt superficiem, affirmandum est. Ad pulmones si prius respiciamus, humida illa atmosphera non tantum quoniam grauis est, et vascula minima compri- mendo liberum humorum circuitum per pulmones impedit, sed ob vapores aquosos introductos, et in pulmonibus quodammodo incalefcentes, vesiculas etiam et vasa relaxat, mucum hic secernendum auget atque inspissat, et faburram humorum ad nobile hoc viscus allicit; hinc vndique morbos catarrhales <sup>e)</sup>, grauissimosque a serosa colluuie affectus, ruricolas et vrbanos infestare videmus. Quodsi vero effectus illius in peripheria corporis euenientes contemplemur, partim fibras et solida relaxata, et robur labefactatum, partim circulum humorum turbatum animaduertimus. Transpiratio imprimis suppressa, lympham in cute fouet lentscentem, quae, quando in acrimoniam transiit, malignis et putridis morbis <sup>f)</sup> oriundis ansam praebet. At vero si, flu-

C 2

viis

e) Conf. Instit. Physiol. P. IV. §. 700. Magnif. *Luduigii* praeceptoris mei, omni honoris et obseruantiae cultu nunquam satis praedicandi.

f) Singularem Cl. *Sutterus* (in §. Diff. cit) morborum catharralium, et putridorum causam in aquis regelantibus quaerit, „ob aeris nimirum inter glaciem atque congelatas aquas, moram diuturnam; qui cum diu restiterit immobilis, putredinem concepit, non tam ex se ipso, quam propter admixtos vapores, putrida ex aqua sub glacie ascendentis, et ex piscibus, in aqua, durante congelatione demortuis, natos., Sa-

ne diuturnam hanc aeris moram multum conferre posse, vt maligni tales in Liuonia saepius exoriantur morbi, veritate haud repugnare videatur. „Haud minus enim (vt iterum „cum Cl. *Huxhamio* dicam) corrumpitur stagnans aer, quam aqua stagnans, quae cito, nisi mouetur subinde putreficit. „ Hinc quoque ille ipse post longum gelu, cum degelatio accessit, morbos in Anglia epidemicos saepissime obseruauit. Non solum ob aquas regelantes atque stagnantes sub gelu, atque putridum avolantem aerem, vti Cl. *Sutterus* opinatur, sed quoniam retentis diu salinis

viis gelu solutis, et sole appropinquante, denuo aquilones exsurgunt, atque plerumque per totum fere Maii mensem intercurrentibus subsolanis Liuoniam infestant<sup>g</sup>), atmosphera purgatur, corporibus relaxatis redditur tonus, transpiratio facilis succedit, et non solum sani bene nutriuntur, sed quoque aegrotantibus atque convalescentibus renascens atque reficiens aer succurrit. Incipit postea aestas, et frigidior atmosphera, Austro mitigatur. „Hic enim, cum a „torrida Zona lene secum deuehit sulphur, veluti florum „eruptionem austeriorumque fructuum maturitatem promovet, sic etiam nostratum corporibus, eodem leni sulphure, „liberiori promota transpiratione blandiatur<sup>h</sup>). Aufertur itaque humidum durante hieme collectum, reparatur fluidorum aequilibrium solidis antea roboratis, et ita sanitas restituitur. Interim aestiuo spatio, austri Liuoniae siccus atque rarefaciens (§. 3.) humidum subinde corporibus nostratum detrahit, eodemque salinae partes sensim sensimque exacuantur, et bilis acrimonia increscit, hinc euidens est, cur autumno ingrediente non solum dysenteriae, sed etiam malignae putridaeque febres in nostrates adeo vulgantur. Quodsi vero autumnus, sole pedetentim remoto, aestatem subsequitur, et rigidi redeunt venti, et grauibus vaporibus iamiam repleta atmosphera, pluviosis accendentibus temperatibus grauior adhuc et respirationis organis molestior redditur, transpiratione suppressa, (in primis cum aestatis calore, exagitata corpora acrioribus iamiam abundant humoribus) omnia ad interiora ruunt, febresque lentae, putridae, neruofae, imo pestilentiales exoriuntur. Pessimus itaque pestilentialis ille aer, quando procellis subuenientibus purgatur, atque hieme iterum reueniente vapores condensati

ad

nis sulphureis in terra halitibus, ver atque Zephyrus post longum gelu iterum reueniens, stagnantes vapores euoluit, attrahit et ita pulmonens intrans corpora inquinat. (V. Huxh. lib. I. proleg.)

g) Lief. Landw. 1 Th. 1 Abschn. §. 34. 41.

h) Lancif. de nativa cœli romani qualitate cap. 4.

ad terrae superficiem adstringuntur, salubris atque serena atmosphera sanitati atque vitalitati nostratum haud parum opitulatur.

## §. 8.

*Fumus.*

Generalioribus his de natura aeris et atmosphaerae constitutione in Liuonia expositis, necesse nunc est, vt ad sententiam III. a FISCHER<sup>i</sup>), in rebus non naturalibus exponendis, de fumo velut de solemani singularique aeris inter nostrates differentia quaedam adiiciamus. Diu nimirum inualuit mos inque confuetudinem, rerum semper incredibilium matrem et in corporibus nostratum miros effectus producentem, abiit, vt a primis partus diebus (vtpote qui in balneis nostratum plerumque absoluuntur<sup>k</sup>) infans mundetur atque ablutus, post vnum vel alterum diem ex balneariis hypocaustis in horreolum transferatur, vbi autumnali atque hiemis tempore non solum frumentorum exsiccatio instituitur, sed quoque hiberna habitacula ponuntur. Horrea illa vno aditu saltem atque duobus spiraculis praedita, ingentes continent fornaces, quae calefactae, per ianuam spiraculaque aperta crassorem quidem fumi partem emitunt, subtiliores vero et tenuiores carbonum vapores relinquunt, quos clausis aperturis tota rusticana familia infugit quotidie. Hisce vaporibus tempore vespertino, in primis hieme, fuliginosus admiscetur vapor te darum, quibus luminis gratia ad negotia sua peragenda vtuntur. Quodsi nunc fumosi istius aeris vim atque efficacitatem in tuenda nostratum sanitate morbisque praecauendis perpendamus, iste ob constringentem suam virtutem pulmones eorum contra feueritatem atque vicissitudines aeris praeservare, hincque nascituris alias in tam nobili corporis parte congestionibus resistere videtur: cum vero idem

C 3

iste

i) Lief. Landw. 2 Anhang, von der Pest. §. 56.

k) l. c. §. 52.

iste et nimium exsiccat, et corrugat, ob hanc ideo vim pariter quoque noxius euadit, et velut siccus aer inflammatoriis morbis et infantibus in primis tenellis, nec assuetis, ob sal suum subtile venas pulmonum resorbentes intrans, sanguini admixtum, variolarum malignitati<sup>1)</sup> aliquam occasionem forte praebere potest.

### §. 9.

#### *Alimenta ex regno vegetabili considerantur.*

Principem inter omnia, ex variis naturae regnis desumpta alimenta, locum habere vegetabilia, non solum Scriptura sacra testatur, sed et ipsa rei natura comprobare videtur. Ita enim Deus statim ac coelum et terram creaverat, primos homines his allocutus est verbis: „En vobis trado omnes herbas, quae sunt in omni terrae solo frugiferae, omnesque arboreo foetu praeditas arbores, semen parientes, quibus ad victum vitaminum<sup>m</sup>). Neque exiguam hominum partem ad hunc usque diem vegetabilibus nutriri, quid? quod plurima animalia bruta his ipsis vesici, animadvertisimus. Quantum interea remotum est a nobis, illam reprehendere hominum multitudinem, qui victum animale, utpote humoribus nostris similem, facile subigendum celebrisque nutrientem elegerunt, tantum nos ad comprobandum victus durioris et vegetabilis rationem pronos esse fatemur, talemque agrestibus in primis aliisque vitam laboriosam degentibus hominibus concedendam esse suademus. Quodsi enim principia vegetabilium naturam constituenta perpendimus et chemicis, acidum imprimis sal, cum terra, aqua, parte oleosa, spiritu rectore et specifico principio commixtum comprobantibus, assentimur<sup>n</sup>), facile ad cre-

1) Liefl. L. l. cit. §. 54.

m) Genes. I, 29.

n) Itaque cruda vegetantia, quaeunque fuerint, omnia habent in se aquam, spiritus dictos, siue corporu-

scula inuisibilia, exhalantia, plerumque odorata, quae in ipsa illa aqua plerumque haerent, atque inde seorsum separata in auras abeunt; salem acidum volatilem; oleum volatile leue

credendum inducimur haec principia, vt alcalescenti animalium indoli assimilentur, et ita nouae mixtioni inferuant, maiorem ideo solutionis gradum ad nouam ineundam mixtionem requirere, seu fortioribus digestionis et subactionis viribus, quam ipsas animalium carnes, vt pote corpori nostro natura sua iam magis similes, opus habere. „Licet itaque, nutritio ex victu vegetabili expectanda, lenta quodammodo et parcior paulo sit, exinde quod vegetabilis succus, per varia corporis organa immutatus, animalem demum naturam acquirit, eo praestantior tamen habetur, et corpora firmiora reddit. Animalis contra victus, iurulentus in primis, celerius quidem nutrit, sed minimas foliarum fibras non satis obfirmat, et facile iterum dissipatur<sup>o</sup>). En igitur rationem, cur victus vegetabilis exercitatis ruricolis nostris adeo conduceat et illorum sanitati magis conveniens iudicandus sit, quam alias. Atque ad illum elendum non solum pauperie adstringuntur, sed etiam a benigna quoque natura inuitantur, quippe quae ob soli Liuoniae bonitatem conueniente inque climatis rationem salubria et egregiae indolis (§. 5.) alimenta abundantiter iis largitur. Hunc igitur, cum exposituri simus victum, de pane cereali omnibus fere hominibus visitatorum primo erit agendum. Nihil est, quod salutare magis atque conueniens nostratis esse possit, quam roborans illud Cereris donum, a suauissimo poetarum<sup>p</sup>) omnibus dapibus antepositum et ita laudatum:

## Pane

leue odoratum fere odore proprio plantae; oleum magis fixum, ponderosum, carbonem atrum, qui vasis clausis igne actus, et summo et diuturno fixus nigerque manet; cineres albescentes, qui manent ex carbone nigro, postquam aperto igne ille combustus fuit; salem, qui in hisce cineribus latet, lixiuio inde educitus, fixus alcalinus; denique cinerum partem alteram, postquam

fal educitus, quae terra sincera vocari solet. Conf. Boerhaav. elem. Chem. T. I.

o) Conf. Magnif. Ludwigii Instit. Physiol. P. IV. §. 758. Qua de re ipse Hippocrates bene obseruavit: omne alimentum, quod aegre immutetur, aegre dissipari; quod vero facile apponatur, facile consumi. In lib. de alim.

p) Horat. epist. 10. Lib. I.

Pane egeo, iam mellitis potiore placētis.  
 Viuere naturae si conuenienter oportet,  
 Ponendaeque domo quaerenda est area primum;  
 Nouistine locum potiorem rure beato? — —

Secalinus praesertim inter nostrates vfitatus, atque aliis panis generibus antepositus, ipsa quidem natura sua, ob densorem feminis structuram <sup>q)</sup> omnibus aliis denfior, ob allegatas (§. cit.) rationes siccus magis, validis tamen corporibus magis conuenit et melius nutrit. Quoad praeparationem durus quidem idem censendus est et ater, quoniam semel tantum teritur, nec incernitur, sed furfuri magis intermixtus coquitur. Neque tamen in modo coquendi C E L S O repugnare videntur nostrates, vtpote qui non fermentatum magis suadet <sup>r)</sup>. Non fermentatus enim et siccior panis bene ab eis dissoluitur atque subigitur, hinc quemadmodum lentius nutrit, sic eo fortiora et validiora corpora reddit <sup>s)</sup>. Inter reliqua autem cerealium genera coctum in primis fagopyrum idemque acidulatum atque lacti coagulato admixtum, adeo aestimatur, vt dicerem fere, pulmentum istud non solum in agrestium ore versari, sed quoque in commune proverbium iam abiisse. Ex leguminibus vero (§. cit.) obiter commemoratis, semina canabis trita saepius in cibum adhibent, exque radicibus raphanum p[ro]ae reliquis maximi faciunt eundemque adeo ipsis morbis haud raro opponunt.

Vt vero de ipsa praeparatione horum vegetabilium pauca addam, tenendum est, sal commune atque acetum, praecipua esse condimenta, quae cibis addunt. Quid vero efficaci illo et salutari condimento, sale communi vtilius, quidue tam duriorum ciborum digestionem iuuare magis potest?

Tri-

<sup>q)</sup> Magn. Ludwig. in Institatt. Physiol. §. 727.

<sup>r)</sup> Celsus de Medicina Lib. II. cap. 24.

<sup>s)</sup> Fermentatus vero debilioribus conducit. Aer enim elasticus vege-

tabilium fermentationis tempore se-  
se expandens, crassiores et terre-  
stris particulas magis solvit, aci-  
dum, oleum et s. p. liberiora red-  
duntur et euoluuntur, atque alimen-  
tum tale facilius a menstruis nostris  
subigitur.

Tribuunt quidem ei vim exſiccantem; tot viſcidis tamen admixtum cibis canalem intestinorum non adeo exſiccare, nec etiam nostratibus moleſtum evadere poſſe, potius ſtimulo ſuo humores digerentes allicere putandum eſt. Quid? quod appetitum ciborum incitat, viſcidum et crudum diſſoluit corporisque humores ita attenuat, ut colatoria facilius permeent. Acetum autem cum ciborum macerationi opituletur, ventriculum ad fortiorem contractionem diſponat, et ad fanguinem delatum blandam transpirationem inducat, iisdem omnino conueniens iudicandum erit. Licet autem vegetabilis eorum victus sanitati atque valetudini admodum proſit, tamen ob eiusdem victus abuſum aliosque diaetae errores, viſcidum, acrimonia acida plerumque ſcatens, increbrefcit, qua propter viscerum obſtructiones et faepiſſime febres intermitteſtes pertinaciores producuntur.

## §. 10.

*Alimenta ex animalibus deſumta.*

Prouti animalium diſſerunt genera, ita etiam cibus ex iisdem deſumtuſ, multiplex eſſe ſolet. Aliud enim eſt do- mesticum genus atque mansuetum, ſylueſtre aliud et indo- mitum; aliud conſtituunt genus volatilia, aliud vero pifces. Quamuis autem nec vnuim nec alterum horum animalium genus parce in Liuonia diſtributum ſit, permulta tamen eo- rum ſunt, quae, ſi ad agricolas reſpicias, Tantali ſane da- pes ſint dicenda. Alii enim, qui vrbibus noſtris propiores ruſticantur, domesticis animalibus, armentis praefertim veſcuntur; alii vero iique remotiores, plura quidem mactant, carnemque ſale conſpergunt et fumo indurant, ſed festiuſ tantum et aliis ſolemnioribus diebus, veluti quando epulo facro vtuntur, carnibus iis delectantur. Ferinas vero et volucres potius nobilium dapes, quam ruſticorum delicias putes. Primaria itaque fercula et alimenta, quae ex pecuaria re ad noſtrates redundant, lac atque butyrum ſunt. Vtrumque ob pabuli Liuoniae praeftantiam (§. 5.) optimae indolis reperitur. Lac quidem ſiue chylus animalium ex

D

ſuc-

cis vegetabilium eductus inque vberibus secretus, cum in animalibus mutationem iam subierit et indolem eorundem aliquantis per induerit, a nostratis non solum facillime digeritur, verum etiam citius in hominibus tam exercitatis apponitur, eosdemque egregie nutrit. Sic igitur succus ille, qui frequentius adhibitus, vitae fendentariae deditis, nimium nutrimentum praebet, inter praecipua et optima nostratum alimenta referes. Vbi vero pituitosum et acido scatens coagulum in primis viis iam abundat, quippe quod, cum saepius lac acetariis immisceant, facillime exoritur viscidum, proinde et acidum noua incrementa capit, quae si ad fanguinem propellantur, cacochymiam humorum acidam, febres intermittentes aliosque morbos, ex hacce cauffa oriundos, producere solent.

Quodsi nunc ad pisces respiciamus, quibus adeo referatae deprehenduntur Liuoniae aquae, frequentius eos a nostratis ad depellendam famem adhiberi fatendum est. Nec id improbandum esse arbitror, siquidem isti, nisi abusus accedat, haud incongrua Liuoniensibus praebere solent alimenta. Optime celerem ex piscibus assuntis nutritionem Ichthiophagi demonstrant, quales sunt maris rubri accolae, et Samogetae aliique populi polo arctico propinquiores, quibus natura vix alia praeter piscium carnes largitur nutrimenta. „Hi vero, vti Cl. SVTERVS<sup>t)</sup> tradit, cum „terra meliora ipsis neget alimenta, piscibus solis, vt vnico „fere et perpetuo alimento, fruuntur. Quae equidem oleo- „fa alimenta citam nutritionem illis praebent, vt, (quem- „admodum accepit) decimo iam anno consuetum et absolu- „tum acquirant corporis complementum, generent et con- „cipiant praecocius, raro tamen trigesimum vel quadrage- „simum ad summum annum viuendo superent.,, Piscium enim carnes eadem quidem ratione vt caetera animalia ad alcalefcentem indolem vergunt, oleosis tamen atque terre- stribus insuper particulis abundant, siquidem victu nu- triuntur glutinofo, vibrante tamen et leniore motu agitan- tur,

t) l. c. §. 26.

tur, vix vero ita corpus mouent, vt oleosi et crudi isti humores subigi prorsus possint<sup>u</sup>). Piscibus itaque, cum eorum carnes humoribus nostris aptiores iam sint, citius quidem homines nutriuntur, interim tamen bene subacti ob laboriosam et mobilem hominum vitam celeriori etiam obnoxii sunt destructioni. Iam si ad nostrates regredimur tali victu nutritos, haecce alimenta eis consentanea fatis et convenientia esse videntur, vtpote qui, non solum pisces bene digerunt, sed etiam interposito saepius vegetabili victu, eosdem corrigunt, et ita citiori destructioni humorum occurunt. Accedit et hoc, quod illi marinos pisces rarius comedant, quam fluuiatiles, quippe qui in circumfluenti aqua vitam suam degentes, non adeo tenaces vti, marini periuntur<sup>x</sup>). In primis vero ipsa inter nostrates usitata piscium praeparatio, non solum faciliorem eorum reddit concoctionem, verum etiam piscium indoli et naturae fatis accommodata habenda est. Saepe nimirum salem nonnullis pisibus adspergunt, antequam eos ingerant, qua vero cura viscidum et oleum eorum attenuatur, ita ut facilius concoqui queant. In primis illi pisces huc pertinent, qui Spratti (Strömlinge) appellantur<sup>y</sup>), qui quidem halecibus Anglorum et aliorum populorum minores, commode tamen his deficientibus substitui possunt. Alii porro pisces assando praeparantur, vti sunt Lampetrae fluuiatiles<sup>z</sup>), aliique, aceto insuper condituntur, sicque praeparati bonae indolis censendi sunt. Igne enim ipsis subiecto, oleum et pinguedo magis elicunt atque alcalinum inde sal liberius red-

D 2

ditum

u) Inde quoque intelligi posse videtur, cur marini pisces tanta atque eximia praediti sint corporis vastitate; cum forsan motu haud adeo percussi, nisi, procellis grauioribus, gluten suum minus concoquere et extenuare valent.

x) Et hinc quoque apparent ratio, cur quando procellae saeuierunt, pisium in mari viuentium carnes

praestantiores inueniantur, quam antea durante maris tranquillitate esse solent; quia impetuosis maris fluctibus, caro illorum magis subigitur.

y) Vid. *Linnæus* in *System. nat. Genus Clupearum.* p. 51. Eiusd. *Fauna Suecica.* Stock. 1761. 8 p. 127.

z) Vid. *Linn. Synt. Nat. Genus Petromyzon.* et *Faun. Suec.* p. 105.

ditum superfuso aceto corrigitur et temperatur. Sic etiam alii aere siccati ad usum diu seruantur; hique tamen minus nutriunt et difficilius mitigantur, siquidem humidum parsque eorum tenuior in auram abiit, terrestris vero coacta remansit. Qui autem fumo exsiccantur pisces, ob ammoniacale fuliginis sal, acrimoniam quandam acquirunt, et ad faciliorem concoctionem atque subactionem apti euadunt. Itaque tali modo praeparatus piscium victus nostratis optime convenire et non nisi per abusum iisdem molestus esse videtur. Tunc enim viscidum in primis viis adauetum atque effusum, non solum obstrunctiones producit, sed quoque, si sal insimul alcalinum eminens ex primis viis ad sanguinem delatum, motu huius magis euoluitur atque subtilius redditur, cacochymiam biliosam atque putridas febres gignere folet.

Haec itaque quoad qualitatem et inddolem ciborum dicenda erant, ad ipsam vero quantitatem et copiam alimento rum quod attinet, vix quidem nostrates gulæ nimis indulgere, neque tamen illos cibi minimi esse notamus. Nonne enim laboriosa eorum vita et corporis vehementes motus multa ex corpore dissipant? nonne etiam ipse frigidus aer et gelidum clima solida firmant et contrahunt, atque ita nouo quasi stimulo in ventriculum agunt et auditatem intendunt? Excedentem interim illam ciborum assumptionem faepius ad generandam pituitosam et viscidam in primis viis colluuiem, conferre multum posse, inficiendum non erit.

### §. II.

#### *Potus.*

At vero inter ea, quae ad conseruandam vitam corporis que integritatem requiruntur, non aer tantum et cibus, sed etiam potulenta, ponuntur (§. 6.) „Necessitas autem eorum, ex copia fluidorum corporis solida secundum naturam exsuperante, et ex se- atque excretionibus per fluida ingesta adiuuandis, patet „<sup>a)</sup>). Hinc potus nostratum,

a) Vid. Mangnif. Ludwig. Instit. Physiol. P. IV. §. 774.

qua-

quatenus valetudini stabiliendae et retinendae inseruiat, considerandus, atque tam de variis eius generibus et potu ipso, quam de quantitate et copia eiusdem aliquid dicendum est. Iam vero si ad varia ciuium nostrorum potulentia, horumque respiciamus indolem, aqua in primis omnium et hominum et animalium potus vniuersalis, etiam nostratum communis reperitur, huiusque in vsu modum minime excedentes, sanitati suae bene consuhint, atque propter illius integratatem salubremque naturam vix vnuquam morbis afficiuntur. Dicitor vero incolarum pars, cereuifia, ex potentia cocta parata vtitur, quae vti Cl. s v t e r v s<sup>b)</sup> de accolis Baltici maris defendit, hisque minus conuenientem iudicat, nec minus nostratis conuenire videtur. Cereuifia enim, quae intercepta antea fermentatione cerealium paratur, spiritum quidem, sed non nimis concentratum sovet<sup>c)</sup>, hinc spiritus animales leniter adauget, motus vitales blande intendit atque particularum nutrientium appositionem adiuvat; et ipse quoque ob particulas oleoso-mucilaginoas admixtas bene nutrit. Neque vero a cereuifia nimia nutritio neque vasorum repletio in nostratis est pertimēcenda; siquidem motibus vehementioribus eam statim subigunt atque dissipant. Aliquid insuper et ipsa eius in Litionia coquendae hic confert ratio. Saepissime enim nostrates in polentam istam, ex qua cereuifam parant, lapides iniiciunt ignitos et carentis metalli fragmenta, sicque polentam fermentantem, antequam lupulus additur, per aliquod tempus sovent; rarius vero polentam sola aqua infusa coquunt. Hacce igitur cerealium praeparatione, crassiores et oleofae particulae minus evoluuntur, quam si ipsa coctio praegressa fuerit<sup>d)</sup>. Hinc diluentem et leniter nutrientem vir-

## D 3

## tutem

b) §. 30.

c) Spiritus enim a crudis terreis cerealium partibus ob interceptam fermentationem nondum plenarie solutus est, sed adhuc illis adhaerens, heterogeneae magis atque

ita minus concentratae indolis esse debet.

d) Ex hac ratione intelligi poterit, cur cocta cereuifia facilius corrumpatur, quam alia; cur cocta pinguior, haec vero tenuior fiat.

tutem tali cereuisiae tribuit Ill. de F I S C H E R<sup>e</sup>), coctam vero roborare magis et nutrire profitetur. Pauperior vero ideoque maxima ruricolarum pars secundariam interdum cereuisiam bibit, plerumque vero alio fermentato, ex furfure fecalino fermentato atque aqua parato vtuntur potu, qui non tam roborando, quam diluendo potius efficacem se praebet, atque forsan ob fermentantem suam vim subactioni ciborum inferuire potest, interim tamen et iis, qui potu isto abutuntur, quiue acidam iam acrimoniam in primis viis fovent, non raro molestus euadit <sup>f</sup>).

Inter spirituosa sitis Liuoniensium leuamina, in primis spiritum ex frumento paratum in deliciis habent. Spirituorum hocce atque exhilarans remedium, ex spiritibus, ut ita dicam, vegetabilium compositum <sup>g</sup>), atque ob velocitatem atque penetrabilitatem animalibus nostris spiritibus simile, repente iis sese quasi communicat, neruos excitat atque omnes circulantium humorum motus, se-atque excretiones, in primis vero insensibilem transpirationem blande promovet, tandemque ventriculum roborando et motum peristalticum adiuuando optime alimentorum resolutioni succurrit. Quemadmodum vero omne nimium in vitium abire solet, sic quoque praestantissimum istud rusticorum remedium atque multorum refugium, perniciosos edere solet effectus. Ille ipse enim spiritus, quo omnes corporis motus intenduntur, omnesque se-atque excretiones promouentur, si nimis et crebro usurpatus fuerit, fluidimas corporis partes dissipat, corporis siccitatem inducit, atque lente subrepentem mortem allicit, vel si quis frigido cœlo transpirationis gratia copioe et immodice eum ingurgitet, eo quidem humores intensis corporis motibus excitatis exaestuantur, citius tamen condensantur, cum subtilior reddit illorum pars eo citius

in

e) Liefl. Landw. I. Anhang §. 15.

f) Ideoqe Exp. atque Clar. Koerberus potum huncce ad dysenterias efficiendas haud parum conferre posse, non sine iure suspicatur.

g) Ex subtilissimis nempe, vegetabilium partibus, acido in primis sale, oleo, atque aethereo principio, quae post interceptam fermentationem per destillationem ex plantis liberantur et accedente aqua colliguntur.

in frigidorem ambientem exhalet abeatque atmosphaeram. Spissior inde remanens', si forsan in nobili corporis parte haeret, stas in efficit vniuersalem, quam vel repentina mors, vel si in minus nobilioribus partibus inclusa quiescit, perniones et inflammationes, gangraena et sphacelus sequuntur. Ad quantitatem autem potus nostratum quod spectat, deplorandi sane sunt illi, quos nec aliorum tristia exempla, nec ipsius corporis mala praefagientes status atque experientia a peruerso et intemperato spirituorum poculorum vsu deterrere valent. Hi si sua bona cognoscerent, et climatis bonitatem, et ciborum virtutem, potuumque diiudicarent vires, magis vitae suae parcerent, ad quam producendam tot efficacia illis data sunt remedia. Hinc Ill. a F I C H E R pariter potuum horum abusum inter maxima longinquitatis vitae Liuonienium retulit impedimenta<sup>h</sup>).

## §. 12.

*Motus et Quies.*

Liuoniae ruricos plerumque ad quietem magis et otium, quam ad motum et negotia proclives esse, haud. commentitia traditio est; caussam tamen in ipsa corporis eorum indole et vitae ratione quaerendam esse putabis. Durior enim est terrestris eorum victus, humores quoque terrestres et grauiores generat, subtilior atque spirituosa pars, a terra, retinetur; hinc ad otium et inertiam magis, quam ad agilitatem et velocitatem natura sua propensi conspicuntur. Necessestas interim et pauperies, magna illa industriae incitamenta, saepius quoque nostros a requie ad motum reuocant, et ad laborem et exercitationem compellunt. Quid autem utilius atque salubrius corporibus eorum contingere potest, siquidem „ignavia corpus hebetat, labor vero firmat, illa „maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit<sup>i</sup>..„ „Nullus enim quiescentis fibrae est motus, ideoque nulla „etiam humorum propulsio contingit, praeter eam quae a „folis

h) L. cit. 2ter Anhang §. 54.

i) Cels. Lib. I. cap. 1.

„solis vitalibus motibus pendet<sup>k)</sup>. „ Exercitatione itaque corporis, augentur motus vitales, hinc quoque progressus humorum omnesque se-atque excretiones expeditius sequuntur; et per eam ipsam totum corpus nutritur. „ Ad nutritionem enim non solum transitus fluidi per vasa minima et superficiaria particularum adhaesio requiritur, sed etiam, ut vera applicatio fluidarum partium ad solida fiat, necesse est<sup>l)</sup>. „ Quo grauior autem et densior fluidorum applicandorum est indoles, eo validiorem vim applicationis requiri putandum est. Ex his igitur liquet, quantum nostratis, qui terreis quasi humoribus scatent et compactis, motus durior ad firmam solidamque praestandam nutritionem conducat. Quodsi vero illi, vti accedente solis nimio ardore interdum fieri solet, nimis agitentur atque moueantur, vehementi hac corporum exercitatione fibrarum siue fluidarum partium infringitur robur, fluidissima dissipantur; reliqui humores inspissati coëunt, acresque in illis particulae magis magisque euoluuntur, atque ob id febres malignae, neruofae et destructoriae sequuntur omnino.

## §. 13.

*De Balneis.*

Hanc de motu nostratum generalius exhibitam rationem, vt latius explicem, de Balneis eorum, veluti de speciali differentia motus, quibus non solum ad sanitatem fervandam, sed etiam ad morbos debellandos frequenter utuntur, quaedam addere vtile erit. Minime quidem de lauatione in frigida aqua, quam ineunt aestate, corporis refrigerandi, et vehementiorum sanguinis agitationum compescendrum gratia, sed de calidis lauacris, quae ad humores et motus corporis promouendos, parantur, sermo instituendus est. Non solum in urbibus Liuoniae balnea videmus extorta et communi usui accommodata, sed ruri in primis quili-

<sup>k)</sup> V. Magn. Ludwig. Institut Physiol. P. IV. §. 815.      <sup>l)</sup> ib. P. I. §. 254.

quilibet agrestis in exſtruendo domicilio occupatus, quam primum fundamentum iecit, de ponendo balneolo cogitat. Placet itaque breuem, quam Cl. W A L T H E R V S<sup>m)</sup> de Balneis nostratum exposuit descriptionem, hic inserere, vt intelligi possit, quomodo lauacra talia ab illis instituantur, et quomodo illis vtantur:

„Plerumque, ait, peculiaris ipsis destinata est domus,  
„quae tamen non nisi vnicam exhibet contignationem.  
„Haec quidem vt plurimum ex ligno paratur, solum tamen  
„lapidibus stratum habet, canali pro abducenda aqua instru-  
„ctum. Communiter per murum intermedium in duas di-  
„viditur cameras: quarum altera ipsi balneo, altera vero  
„variis reponendis rebus, ligno, aquae, fuppellectili necef-  
„fario destinatur. Et in hoc muro locum obtinet fornax,  
„quae ipfa tamen in conclavi posita. Haec quidem forni-  
„cem ſiftit, ex lateribus vtplurimum constructum. In an-  
„teriori, quae conclave ipsum respicit, parte stratum, elati-  
„tius a fundo fornacis erectum eft, ex multis lapidibus com-  
„positum, cuius latitudo pro fornacis amplitudine differt.  
„Anterius fornax aperturan magnam in hypocaustum des-  
„nentem habet, quae valuula instruēta eft. In posteriori  
„autem parte, ſupra praefurnium, aliud foramen minus exit,  
„per quod fumo transitus patet. Prope parietes camerae  
„lauacro destinatae ſcamna adornata ſunt, quaedam elatio-  
„ra, humiliora alia. In his balneum vſurpaturus vel ſedet,  
„vel iacet, prout aut corpus lauare aut fudatione vti cupit.  
„Fornacem aliquot horas ante copioſo instruunt igne, vt  
„ſubinde fere candeat: flamma autem extincta, posterius  
„foramen obſtruunt, ne calor exeat. Anterius tunc oſtium,  
„cuius valuula ante clauſa, et luto firmata erat, aperiunt..  
„Modum vero ipsis lauacris vtendi ita exponere pergit: „Su-  
„daturus, inquit, plerumque altius occupat ſcamnum, at-  
„que in eodem decumbit. Candenti poſtmodum laterino  
„ſtrato, prout maior vel minor deſideratur aestus, aqua par-  
„cius

m) in diſ. inaug. de Balneorum praefidio B. Quelmatzii habita. Lips.  
aquaſ ſimplicis vſu dialeſtico ſub 1744. §. 21. 22.

„cius vel copiosius affunditur, Haec cito in halitus resoluta, vapore hypocauustum replet, quem vel balneans ipse, vel ministrans quidam fascibus, (ex surculis betularum ante aqua maceratarum confectis) ad corporis superficiem adigit. Simul his fascibus cutem caedunt, sanguinemque ad habitum externum alliciunt. Sic cutis turgere, et rubore incipit, fudorque praeferit, si largius aqua funditur, copiose profluit. Id tam diu continuant, quamdiu sudationi inhaerere desiderant. Postmodum aqua calida corpus in inferiori scamno abluere patiuntur. Et talis quidem aqueus vapor etiam excitari solet, si simplici tantum balneo vtuntur: ad gradum nempe caloris pro re nata augendum. Obseruanti patebit, quam subito aestus ab aqua, carentibus his lapidibus affusa, increscat. Qui autem corporis tantum calidi lauandi gratia, hypocausta ista ingrediuntur: ii in inferiori scamno sedent et sudant ministrant. Atque haec sunt, quae W A L T H E R v s habet, ita fane comparata, vt nihil quidem de balneis nostratum addere nobis liceat, sed effectus tantum eorum, et quid ad sanitatem Livoniensium fulciendam conferant, examinare nobis licitum fit. Cum solida eorum firmiora, fibraeque ob vietus in primis rationem duriores sint atque tota corporis superficies ob gelidam atmosphaeram strictior obseruetur; haud leuia de lauationibus istis promanare emolumenta, coniicimus. Quantum enim tales calidae lauationes, cum sanguini blandum communicent calorem, et humorum motum ad externam corporis superficiem allicit; cum quoque fibras et solidas partes emoliant, vt spasmus remoto corporisque spiraculis apertis sudore subsequente viscidum resolutum et attenuatum dissipari possit, quantum, inquam, dictae lauationes ad aequilibrium solidarum et fluidarum partium, siue sanitatem conseruandam conducant, nemo non intelliget. Fieri tamen potest, prout id Ill. F I S C H E R obseruauit<sup>n)</sup>: vt vehemens illa corporis atque humorum spissiorum agitatio, infantibus tenerrimis eueniat molesta, quoniam ii saepe

mox

n) L. cit. 2ter Anhang. §. 52.

mox post partum, si somnum capere nequeunt, a parentibus suis fascibus et calida aqua per totum corpus fouentur, vt sanguine exaeſtuato et ſenſibus et neruis obnubilatis, quaſi inebriati ſomno conſopiantur. Addit inſuper laudatus iſte Vir, in infirmoribus ſolummodo, atque ſi imperite et incaute in ea re verſentur, conuulsiones aliaque incommoda eſſe pertimescenda. Itaque, cum raro a parentum defleſtant virtute, et perraro imbeciliores a valentibus atque robustis naſcantur <sup>o</sup>), minus conſueta iſta censenda eſſe, arbitror.

## §. 14.

*Somnus et Vigiliae.*

Nihil praecipui Liuoniensibus in ſomno et vigiliis prae allis gentibus a natura datum eſt. Hoc tantum agricolis nostris proprium eſſe ſolet, vt ſomno potius quam vigiliis indulgeant. Neque id adeo iis, tam ob noctium diurnitatem, et feruidae aestatis incommoda, quam ob paucitatem ſpiritum animalium (§. 12.) atque vehementiam laborum vi- tio verti poterit. Hinc ſane

Somnus agrestium

Lenis virorum non humiles domos fastidit <sup>p</sup>).

## §. 15.

*Excreta et retenta.*

Neque praetereunda nobis, quae de ſalutaribus corporis euacuationibus, noxiaque euacuandorum retentione, qua- tenus ad Liuonienses ſpectant, annotanda ſunt. Ab hisce enim naturalibus corporis excretionibus non ſolum tempe- ramentorum varia indoles atque valetudinis diuerſa ratio, ſed etiam morbi ipſi atque adeo euentus dependent et ema-

E 2

nant

o) Fortes (enim) creantur fortibus et bonis:

Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum

Virtus: nec imbellem feroceſ

Progenerant aquilae columbam.

Hor. Carm. Lib. IV. od. 4. De indole Drufi.

p) Hor. Lib. 3. od. 1.

nant, prouti eae vel parciores vel effusiores sunt, vel tempestiue vel intempestiue fieri solent. Potissimum vero illa euacuatio, quam insensibilem transpirationem vocamus, parciar inter nostrates obseruatur. Ad hanc rem autem tam coeli conditio, quam habitus corporis strictior (§. 7.) et vestimenta, et habitationum constitutio multum conferre videntur. Quodsi enim vestitus rationem ponderemus, pelle quidem et panni densiores ibi vix vnquam deficiunt; plerumque tamen nec collaribus, nec calceis vtuntur, minime vero ocreati procedunt. Calceis substituunt calceamenta ex arborum libris texta, interdum quoque soleas ex corio nondum perfecto paratas plantis pedum adstringere solent. Domicilia autem eorum ita exstruuntur, vt, postquam tigna coaggerata fuerunt, praeter muscum nulla alia ad explenda tignorum interstitia obturandasque iuncturas apta interposita conficiatur materia. Anne igitur eiusmodi domicilia tam leuiter exstructa magis ac alia iniuriis atque violentiae aeris exposita esse censendum sit? Quod ad ceteras corporis excretiones pertinet, saliuae fluxum ob herbae Nicotianae vsum, largiorem quidem, iis tamen vix contrarium iudicandum esse, monemus, cum id, quod ob transpirationem parcus procedentem in corpore retinetur, per istas saliuae vias paullo largius dissipetur. Sique tandem de sexu sequori hic quidquam monendum est, tardius in iis catamenia erumpere citiusque eadem cessare notamus.

## §. 16.

*Animi habitus.*

Vt vero de animi Liuonienium quoque affectibus, quae-dam differamus, statim notandum est, iucundas in primis commotiones rarius nostratis opitulari, quippe qui labriosa seruitute oppressi, tranquillitati et voluptatibus nativix esse videntur. Neque etiam hi ipsi, vtpote ab inuidiae procellis et curarum aerumna remoti, ingratis saepe commoventur affectibus. Praeter seruilem enim timiditatem atque temulentiae sociam, iracundiam puta, vix tanti concitantur

tantur animi motus, vt valida eorum sanitas grauiora exinde capere possit detrimenta. Atque hoc de rebus non naturalibus praefari licuit, antequam vero ipsam nunc morborum instituamus contemplationem, iuuabit sane quaedam de liberorum subiungere educatione, vt cognoscatur, qualem ab ineunte aetate illae res cum nostratis rationem habent, quidue confuetudo in firmando valetudine valeat.

## §. 17.

*Educatio liberorum.*

Quam primum infans ex matris vtero exclusus fuit, nullum aliud exhibetur alimentum, quam quod ipsius matris vberiores largiuntur mammae. Rustica vero mater, lac illi praebens, illico post puerperium agrestibus et durioribus cibis, atro nimirum pane, leguminibus, oleribus, viscida carne suilla, lacte coagulato, hisceque omnibus semper sale conditis vescitur, atque ad sitim depellantur vel simplici aqua vel potu fermentato ex furfure et aqua parato vtitur. Sic ex viscido atque asperrimo matris victu nimis attenuatum et subactum infantibus praebetur alimentum, quod quando sanguinis vias intravit, a prima quidem aetate spissiores in corpore tenello generat humores, facta tamen apposizione, eo solidiorem huic conciliat compagem. Neque etiam infantes diu hancce obseruant victus rationem; statim enim post aliquot menses iam solidiora, imo omnia, quibus ipsa mater vtitur, iis exhibentur alimenta <sup>q)</sup>. Asperrimus igitur ille victus corpora format duriora, et robore plena, vt inde parentibus suis magis magisque similes euadant infantes. Nec minus quoque ipsi parentes atmospherae rationem habent, eiusque vicissitudinibus et molestiis infantes exponunt, hosque capite inoperto semper incedentes atque non nisi inducio tectos ad folis intemperiem aequa ac hiemis feueritatem preferendam assuefaciunt. Neque mirum aliis gentibus videri debet, si quando infantes nostratum nudos

E 3

in

q) Lief. Land. §. 54. 2. Anhang.

in niue vagari, nimiisque forsan frigoribus horrentes in horrea calefacta regredi, vix vero tepefactos denuo in eadem aere ambulare, percipient. Sic enim et (§. 13.) balneorum insuper vsu et fumo horreorum (§. 8.) corpora eorum indurescunt, et ad molestam laboriosamque vitam tolerandam aptiora euadunt, imo ad validam et diutinam senectutem disponuntur.

## §. 18.

*Corporis habitus, statura, et sanitatis indoles.*

Sicuti effectus ad causas suas semper referri et ex iis diiudicari solent, ita etiam corporis habitum et sanitatis rationem ex antea dictis colligere facile poterimus. In uniuersum itaque nostrates habitu corporis gaudere stricto, et viscido magis humidoque, simul tamen valido atque robusto, adnimaduertendum est. Ad corporis quidem confirmationem et incrementum, multum alimenta conferunt, in primis quando maiori magis quam minori copia adsumuntur. Interim tamen laboriosa nostratum vita, climatis severitas, et dura educationis necessitas, rigida duraque solida reddunt, quae, quo duriora esse solent, eo magis resistentiam pariunt, ita ut minor expansio, minorque particulatum nutritiarum collectio fieri possit. Ob hanc itaque causam nostrates densioris et rigidi habitus atque breuioris staturae conspicuntur. Ad viscidam vero indolem tam rigida atmosphera, vtpote quae magis condensat humores quam dissipat, tam crudus et viscidus victus difficilius immutandus et dissipandus conferre videntur, Ipsa itaque sanitatis conditio ob fortiorum et validum corporis habitum firma quoque et valida erit dicenda, Ipsique humidae humorum naturae longaeuitatem Liuoniensium aliqua ex parte tribuendam esse, non in opinione dubia res est<sup>r).</sup>

## §. 19.

r) Conf. Lomm. in Comm. de San. tuend. in Lib. I. Celf.

## §. 19.

*Cauſae morborum praedifponentes.*

Talis itaque est status Liuoniensium sanus: ad indolem morborum illustrandam vltierius progrediamur necesse est. Ad hanc vero declarandam iuuabit, si exponamus, quomodo ex cauſis illis sanitatis, quae tamen ſimul occasio- nales morborum dicuntur cauſae, generentur praedifponentes, ſiue qua ratione eae proportionem fluidorum ad ſolidas partes, eorumque mixtionem ita mutant, vt ſenſim ſenſim que cauſae proximae morborum exinde oriāntur. Sicuti omnis fluidorum ad ſolida relatio et proportio in corporibus hominum varia eſt, ſic etiam ipſae cauſae praedifponentes variare folent. Ex hīſce antem diuerſis, quae obſeruantur, fluidorum ad ſolida proportionibus, illa, quae omnibus hominibus eſt propria atque communis, temperamenti nomi- ne inſignitur. Haec itaque ad numerum iſtarum praedifponentium cauſarum, quae omnibus in hominibus existunt, referenda ſunt. Cum autem tam diuerfae ſint fluidorum mixtiones, variaeque solidorum qualitates et conditiones, vt cuilibet homini proprium ob hancce cauſam tribuant temperamentum; hinc in considerandis temperamentiſ, more maiorum, ſecundum generalem quatuor temperamentorum ordinem cogitationes noſtras dirigere licebit. Ad duo in quacunque temperamentorum contemplatione reſpiciendum eſſe puto, nimirum ad ſolidas atque fluidas par- tes, quippe quae pro diuerfa ratione diuerfa temperamentorum conſtituunt genera. Quodſi ſolida noſtratum con templemur, haec vti (§. 8.) monuimus, ob aerem frigidum et conſtingentem, atque ob viētum duriorem terrefrem, pariterque ob motus corporis vehementiam, firma et densa; fluida vero, ob gelidam quoque atmosphaeram, humores inſpiſſantem, aeque ac ob viētum faepiſſime viſcidum glutinoſum, largiora quidem, quoad quantitatem, ſpiſſiora vero, quoad indolem et glutinofa, erunt cefenda. Respectu igi- tur ſolidarum partium Liuonienſes ad ſtrictum, respectu fluidarum vero ad phegmaticum inclinare videntur tempe- ramen-

ramentum. Neque tamen in vno eodemque homine, vna eademque semper deprehenditur temperamenti ratio; quid mirum, si illam in nostratis in vniuersum consideratis saepius immutatum videamus? „Nullum enim hominum genus esse existimo, in quibus maiorem mutationem, idque breui tempore, sanguis subeat, quam in rusticana hacc gente; iis enim, quibus verno tempore, sanguis densus ac glutinosus detractus est, sub aestatis initium data alicuius morbi occasione, viuidus ac floridus appetet, tanta est exercitationis vis ac aeris potestas, ut tam prompte in contrarium crasin transeat humorum massa, quod non sic in urbana gente obseruatur<sup>s</sup>). Quamuis itaque hieme plerumque phlegma et pituita in nostratis abundant, eos tamen aestate ad biliosam crasin magis vergere obseruamus. Hinc accedit, ut, quando febres intermittentes minuantur, continuae et biliose ingrauescant.

„Ad aliam accedimus causarum praedisponentium classem, temperamentis subiungendam, ad illam nimirum de prauationem fluidorum vel sanguinis vel inde deductorum humorum, vbi in sua mixtione et aggregatione, atque globularum coniunctione, a naturali hominum statu recedunt; „ quam cacoehymiam appellant<sup>t</sup>). In eo haec differre videtur a temperamentis, quod haec omnibus hominibus propria omnem quoque cacoehymiam praecedere debant, cacoehymiae vero ex illis aliqua ratione dependeant, eaque sequantur. Ut enim temperamenti in homine indoles comparata est, sic etiam ad hunc vel illam cacoehymiam dispositos homines reperimus. In Liuonia nimirum phlegmaticum praedominari diximus temperamentum: hinc quoque pituitofae cacoehymiae morbi ex illis oriundi ibidem praedominari solent. Quodsi vero pituitosa eorum indoles ob anni temperiem et vitam nimis exercitatam magis ad biliosam vergat, cacoehymias etiam biliosas suboriri animaduertimus.

Sed

s) Conf. Cl. *Ramazini* de morbis artif. diatrib. quae extat in oper.

t) Vid. Magnif. *Ludwig*. in Institut. Pathol. P. I. §. 939.

Sed ad aliam causam praedisponentem, plethoram nimirum progrediendum est. Vera plethora, quae in abundantia sanguinis boni rubicundi consistit, inter nostrates quidem adesse poterit, quando gulæ minus indulgent, simul quoque otio se dicant; interim, cum laboriosa vita sanguinis abundantiae potissimum aduersetur, vix adeo plethora haec ipsis pertimescenda erit. Minime tamen plethoram a debilitate sic dictam in tam validis hominibus frequenter obseruari putas,

## §. 20.

*Status morbosus Liuonienſum in genere conſideratur.*

Liuonienſes valido et fimo corpore constitutos, magis ad sanitatem atque integritatem, quam ad aegritudines et morbos proclives esse, experientia docet. Quamuis autem hi ipsi valentes magis atque fortes morbis diu resistant, eosdem tamen grauioribus et diuturnis quoque haud raro corripi morbis obſeruamus. Ad hanc vero morborum diuturnitatem ipfa pariter corporis eorum indoles facit. Omnis enim fibra fortior diu quidem reficit, antequam tonum suum amittit, quam primum autem haec ipfa labefactata fuerit, eo plus etiam temporis ad pristinum robur acquirendum requirit.

In genere autem hos ipsos ob ingrauescentem faepius cacochymiam pituitosam et ferosam, potissimum ad morbos chronicos atque lentescentes, nec adeo ad acutos, nisi ob allegatas causas pituitosam cacochymiam in biliosam mutant, multo minus ad morbos a debilitate oriundos proclives esse, quilibet, qui firmitatem et robur solidorum considerauerit, concedet. Ut igitur specialius quoque omnes inter eos occurrentes morbos, tam solemniores, quam rariores tradere atque exponere queamus, necesse erit, de omnibus morbis, qui vel uniuerſales vel particulares dicuntur, ita differere, ut vniuersalibus ad ordinem trium systematum, sanguinei nimirum, feroſo-lymphatici et neruosi

F

prae-

praemissis, particulares pro differentia corporis, cavitatum et extremitatum, examinentur.

§. 21.

*Morbi uniuersales in Liuonia.*

I. Morbos systematis sanguinei vel febres, vel inflammaciones, vel haemorrhagias esse, experientia docet.

A. Febrium omnium communiores intermittentes Liuoniae incolas inuadere tenendum est. Nec sane mirum, siquidem faburra praesertim victu largiori, viscido et lentescente in primas vias inducta, et sensim sensimque ad sanguinem delata, nec minus quoque ipsa transpiratio saepius suppressa, vnde eliminandi humores coguntur, atque ad stas in minimis vasculis disponuntur, occasioales suppeditat causas. Ad praedisponentes vero humidum et frigidum temperamentum atque cacochymia pituitosa referri merentur. Ex omnibus vero intermittentium febrium speciebus, scandalo illo medicorum, quartana nimirum, rarissime nostrates affiguntur<sup>u)</sup>; Haec enim laxa magis atque labefactata, quam fortiora et stricta corpora invadit; quare etiam quotidianae, quippe quae materiam morbificam leui-ter tantum mouent et agitant, et debiliores tantum infestant, rarius occurrunt. Continuas vero febres nostratibus saepius funestas, catarrhales in primis malignas notemus. Quod ad catarrhales benignas haud raro occurrentes attinet, transpiratio imminuta et serum acre remanens, viscidæque humorum in pulmonibus congestiones istis nascituri ortum praebent. Malignas vero ob coniunctam corporis debilitatem, nimio calore, vel nimia in primis defatigatione inductum, ad secretiones se rosas non rite procedentes, biliosas cruditates eliminandas plerumque post feruidam aestatem, quam frigidus subsequitur autumnus, vel quoque post longum gelu in nostris regionibus vagari, purpuras tamen rarius subuenire obseruamus. Quodsi autem pluviiosis praesertim tempestatibus cutis nimis relaxata fuerit,

<sup>u)</sup> Liefl. Landw. §. 56. 2 Anhang.

rit, ita ut per transpirationem impeditam, aliasque causas, inducta materia morboſa expelli nequeat, sed potius in pus transeat, tunc etiam Liuonienſes in purpuras incidere videntur. Quod ad variolas et morbillos spectat, hi forſan observationem (§. 8.) allegatam ſaepius maligni naſcuntur. Graviores vero febres, vti ſunt ſcarlatinae, petechiales, imo ipſa pestis calidis et minus ſalubrioribus regionibus magis propria, per raro ſub noſtro coelo graffantur; Itidemque lentibus febribus, quippe quae plerumque in imbecillioribus ad fuſceptam acrimoniam ſubigendam proſerpunt, natuamque ſaepius diſpoſitionem praefupponunt, rarius noſtri corripiuntur.

B. Ex inflammatoriis morbis ſaepiffime pleuritis ingravescit. Ad hanc enim vita exercitata, qua pulmones fortiuſ agitantur, victus durior, ſpiritus frumenti abuſus, aer ficcus, repentinae aeris mutationes atque fumus multum contribuunt; hinc eriſipelate ob ſerum acre, a transpiratione ſuppreſta orto ſaepius afficiuntur.

C. Si tandem haemorrhagias perpendamus, frigidus quidem aer, nimis corporis motus, et potus ſpirituofi abuſus quicquam conferre poſſunt; vix tamen adeo inſignis iſpis inēt plethora, ſolidisque tanta debilitas, ut forte ad rupturam ſint proclives.

II. Systematis ſeroſo-lymphatici, qui ſaepius noſtrates inuadunt et corrumpunt morbi, ſunt ſcabies inprimis et venerea lues, arthritis interdum atque hydrops, raro hypochondriacum malum, rariffime ſcorbutus.

Ad ſcabiem multum faciunt: transpiratio laefa, ſerum acre in humoribus euolutum vel per contagium fuſcepturn, immundities linteorum cet. Odioſa autem atque ſordida ve- nerea lues, ante hos quinquaginta circiter iam annos, ita oram noſtram peruaſit, ut non ſolum ſinguli pagi, ſed quoque inſignes Liuoniae tractus inde inficerentur; <sup>v)</sup>) adeo ut ex ſummo Ruſſorum regiminis iuſſu et mandato Professoribus Academiae Pernauiae tunc temporis florentiſimae,

F 2

omnis

v) Vid. Tract. cit. Exper. Koerb.

omnis cura et diligentia in eradicando hocce malo committeretur, sumptusque insimul ex summo aerario iisdem suppeditarentur. Quod ad ipsius mali originem attinet, contagium eiusdem ex Russorum, Borussiam contendentium, muliebribus suscepimus, et sensim sensimque ruricolis nostris communicatum fuisse, tradunt. Hydrops vix quidem laxitate nec facili ad rupturam dispositione morborum, nec visceribus labefactatis, magis vero cacoehymia pituitosa, interdum transpiratione suppressa, saepius spiritus frumenti abusu, nonnunquam vero febribus intermittentibus neglectis inducitur.

Et multi quoque arthritide vexantur: victus enim crudus, terrestris, transpiratio suppressa, lymphae acrimonia terrestriumque particularum abundantia, vel quoque Scabies retrorpulsa, ansam perfaepe praebent.

Hypochondriacos nostrates vix dicere poteris: nonne enim huic malo, quippe quod, lymphae visciditati atque atrabilariae acrimoniae originem suam debet, viscera valida et vita exercitata valide obsistunt? Nonne eadem haec et stasibus sanguinis et lentiori in primis humorum in venis portarum progressui, simulque singulari debilitati et irritabilitati neruorum, semper malum hocce concomitante occurunt et aduersantur?

Quod ad scorbutum attinet, hunc quidem inter familiares Liuoniensium morbos nonnulli \*) retulerunt, quibus tamen nostri obseruatores contradicunt. Neque id illi, qui nostris aduersantur, rationibus probare poterunt, cum scorbutica labes, magis ex defectu debitae in aere in primis sereno et sicco exercitationis et putrida humorum dispositione exoriatur. Licet itaque transpiratio inter nostrates saepius sit imminuta, vix tamen tantum inde acquirent corporis debilitatem, ut acre serum, putredinofum corpori inducat statum. „Nec etiam exhalationes aquae marinæ ipsa ut causa veri scorbuti afferri queunt, cum cognitum

\*) V. Hoffstadii diff. inaug. de morbis certis region. et popul. Praefid. F. Hoffmanno. Halae 1725.

„gnitum sit, aquam marinam, quae aliis morbis, v. c. a viscido oriundis, glandularum obstructionibus, medetur, vsu continuato non quidem curasse, minime tamen veros scorbuticos grauioribus incommodis affecisse <sup>y).</sup>.. Hinc etiam dictus ille morbus, si nautas excruciat, magis motus defetui, et vietus rationi atque solis calori, quo humores ad putredinem disponuntur, quam humiditati maris tribuendus erit. Hinc igitur scorbutum aut nunquam aut rarissime incolas nostras inuadere putandum est.

III. Morbi systematis neruosi, licet inter solemniores referri nequeant, rariores tamen vix esse solent. Cum enim omnia corporis fluida deprauari queunt, nerueum proinde fluidum forte vitiari posse crederem. Non solum vero haec ratio, sed aliae quoque causae assumenda fuit: materia verbi caufa male mota et ad crebrum neruosque delata, obstructio vasorum lymphaticorum circa neruos, a nimio frigore faepius exorta, et alia plura, quae apoplexiam, paralysin, conuulsiones, epilepsias, melancholiam et maniam, lipothymiam et syncopen, atque vertiginem morbosque soporofos inducere valent.

### §. 22.

#### *Morbi partium.*

Tres in primis corporis cauitates, caput puta, et pectus atque abdomen innumeris affici et turbari malis vbiunque videmus. Ad capitis adfectus si respicimus, nostrates licet collaribus non tantur (§. 15.) grauedine tamen vix faepius laborare, magis tamen oculorum morbis, tam ob decubitus serofos acres, quam ob siccitatem aeris et forte ob niuum copiosarum radiatione affici videmus.

Ex pectoris vero adfectibus, tussi in primis atque raucedine laborant; ob fumum enim halitusque acres, ob viscidam dein et tenacem pituitam, vel bronchiis vel larynge vel faucibus inhaerentem, ob colluuiem porro serofam eo delatam, atque ob siccitatem demum harum partium internam ab aere sicco inductam et musculares et nerueae fibrillae ita

F 3

afficiun-

y) Conf. Magnif. *Ludwigius* in *Inst. Med. Clinicis.* §. 501.

afficiuntur, ut motus organorum, respirationi et loquelae inferuentium, mutentur omnino. Rarius tamen in phtis in delabuntur, cum rarius imbecillitate pulmonum laborent.

Ex abdominis denique morbis, dysenteriam in primis et colicam nostrates infestare, notamus. Ad dysenteriam enim non solum ob victum acescentem, acrem, et fructus horaeos crudos, saepe commestos, sed etiam potissimum ob corporis exaestuantis refrigerium, vel autumno feruidam aestatem subsequente (§. 7.) vel alio anni tempore admissum disponuntur. Colicam vero in specie flatulentam, pituitosam et biliosam, alimenta flatus et acrimoniam generantia, refrigerium, pluresque aliae causae inducunt.

Alii quoque vermes iis familiares esse volunt, contra quam tamen sententiam curiosiores obseruationes aduersantur.

Sexus autem si quando perpendamus morbos, nonnunquam quidem gonorrhœa maligna, raro tamen benigna masculos affici, fœminas vero fluore albo maligno magis labrare, hasque ipsas ad hystericum malum, ob vitam exercitatem, et systema neruofum minus irritabile, haud adeo propclues esse obseruamus.

Quod denique ad extremitatum morbos pertinet, perniones frequentiores ad climatis effectus referendos atque tumores oedumatosos, haud raro occurrentes, febrium intermittentium in primis neglectui tribuendos exoriri, notamus.

### §. 23.

#### *Regulae sanitatis ex fonte Diaetetico desumptæ.*

His de morbo nostro stratum statu explicatis, nostrum nunc est, ut exponamus, quomodo sanitas eorum tuenda, quaue ratione morborum curatio dirigenda sit. Si sanitatis conseruandæ ratio habenda est, talem Diaetam suadendum esse arbitramur, quae non solum rebus non naturalibus, sed etiam corporis naturae consentanea esse videtur. Cuilibet „enim

„enim propria est sanitas, sic singulis etiam subiectis propriae sanitatis regulae seruandae sunt<sup>z)</sup>.“

Vt igitur in pauca conferamus, quae prolixius profecti nobis non licet, sequentes, quae vel ad seruandam sanitatem, vel ad praecauendos morbos spectant regulae sufficiant:

Ante omnia humida simulque frigida aeris conditio, atque ea etiam, quae transpirationem corporis adhuc impediunt et laedunt corrigenda, et leuia potissimum vestimenta cum calidis commutanda sunt; et eligenda, quae transpirationem intendunt aut leuiter promouent, quorundam v. g. vel corporis exercitationum, vel quantum licet spiritum frumenti usum referes, quippe quo circulus humorum augetur et aucta inde fibrarum elasticitate, tonus earundem sustinetur.

Tempore vero frigido et sicco humectante diaeta et calidis lauacris utendum est, quae tamen feruida et sicca tempestate fugere praestabit. Tunc enim frigidae lauationes conducunt; quaeque ob roboran tem suam virtutem in primis sanibus et infirmis ex diuturno morbo suaderi possunt.

Ratione victus, in tam frequenti piscium usu, ii prae reliquis, qui aceto parantur eodemque seruantur, concedendi, ita tamen ut panis sufficienti insimul nec parua adeo ingerratur, copia, neque tunc nimius frumenti spiritus usus sit.

Vt vero morbi praecauantur, aestate inclinante dysenteriis et febribus malignis occurrentibus et ob id eccoprotica in primis exhibenda sunt, vt acrimonia biliosa remoueatur siveque morbis nascituris materies maligna auferatur.

### §. 24.

#### *Remedia ex fonte chirurgico considerata.*

Inter primaria ex chirurgico fonte defumta remedia, quae vel ad rectam retinendam faciunt valetudinem, vel ipsis morbis opponuntur, utique venae sectio referri solet.

Vtra-

<sup>z)</sup> V. Magnif. *Ludwigius* in *Inst. Physiol.* P. IV. §. 682.

Vtraque vero haec, prophylactica nimirum et curatoria, sane nostratisbus, non tam ob fanguinis quantitatem, quam potius ob validam corporis constitutionem, suadendum esse iudicamus. „Hi enim robusti et firmi homines magis ferunt sanguinis missione, quam flaccidi, et si aequae succidi; quia propter firmitatem fibrarum, aequilibrium solida inter et fluida, celeriter iterum restituitur<sup>a</sup>).„ In primis etiam vernalem venae sectionem facilius, quam autumnalem eos ferre, exinde perspicuum est, quoniam hieme semper maior, quam aestate collectio humorum in ipsis facta fuit. Hinc hieme quoque feliciori cum successu sanguinem ipsis detrahi posse quam aestate, minime dubito. „Nam pondus atmospherae tunc temporis magnum, vniuersum corporis habitum premit valide, et corroborat, ac proinde fanguinis motum incitat; et frigus, siccitate praesertim adiuncta, vim fibrarum adauget, et plurimum, accendentibus adeo simul utrisque, vis vitae fortior euadit, et vel ipse corporis habitus pro tempore velut mutatus videtur: vnde, tali durante aeris catastasi non solum robusti, sed etiam infirmiores facile tollerant venae sectionem<sup>b</sup>).„

Si quando autem de illa sanguinem detrahendi ratione, quae scarificatione et cucurbitularum applicatione instituitur, quaedam dicenda sint, egregium hocce a Cel. RAMAZINI<sup>c</sup>) in febribus continuis ruricolarum laudatum remedium, nostratisbus pariter quoque conuenire posse puto.

### §. 25.

#### *Remedia pharmaceutica proponuntur.*

Tria hic potissimum ex pharmaceutica classe ventilanda genera medicamentorum erunt, vomitoria nempe, purgantia, atque sudorifera. Ex his autem ea, quae primas vias euacuant et liberas reddunt, primaria esse videntur, cum eae viae saepissime grauissimorum morborum foueant causam,

a) conf. tract. Cel. *Huxham.* V.I.  
proleg.

b) V. C. *Huxham.* l. c.  
c) de morb. artif. cap. 38.

caufam, quae, si expellitur, pefimis alias fuboriundis malis occurrit. De vomitoriis itaque primo agendum nobis et explicandum eft, quales ab iis adhibitis in Liuonienfibus producantur effectus, quidue valeant et ibi praeftent. Cum viscera noſtratum plerumque valida et fortiora ſint, ideoque vehementiorem requirant ſtimulum, vt mala materia qua ſcatent commoueatur, et pituita, quae ob victum ipſorum crudum, terrefrem, tenaciflum faepius generatur, euacuetur, fortioribus ea propter vtendum medicamentis, hincque uſum vomitoriorum, quippe quae primas vias liberant, ſimul autem ob vim fuam in ſecundas penetrant et agunt, in noſtris terris haud adeo pertimescendum eſſe, putandum erit. Nec minus iisdem valida purgantia diſſuadere nobis animus eft, quippe quorum natura ita comparata eſſe folet, vt non niſi fortioribus commoueri poſſit remediis. Ex tot autem variisque huius generis medicaminibus ea tantum eligere placet, quae pro ipſa corporum indole atque etiam provario rerum ſtatu accommodanda eſſe videntur. Pro ſubducenda itaque bilioſa acrimonia iuuabit in primis cremorē tartari cum ſero lactis, vel ſi fieri poſteſt, Rhabarb. cum fale medio exhibere. His enim non ſolum ob ſtimulum bilioſae cruditates ex primis viis expelluntur, ſed etiam eliminanda maſſa corrigitur et temperatur. Inter fortiora vero ſtimulantia, eis conuenientia, aloetica potiſſimum ponenda eſſe arbitror, quoniam refinoſa pars aloes, quamquam fibras corporis magis exſiccatur, in pituofis tamen hominibus magis reſoluendo et roborando agere folet <sup>d)</sup>. Si- cuti vero aloetica proficua ſunt, ſic et alia aetiua ex mine- rali regno deſumta terreis Medicamentis ſubſtituenda eſſe, automo.

Quod ad doſin et proportionem purgantium non fo- lum, ſed quoque omnium medicamentorum ſpectat, in ge- nere

d) C. Magn. *Ludwigius* in *Inst. Therap. gener.* P. II. §, 1568.

nere monemus, eam pro ipsa nostratum valida natura et corporis constitutione diiudicandam esse. „Imbecilis enim hominibus rebus infirmissimis opus est, mediocriter vero firmos media materia optime sustinet, et robustis apta validissima est“). Tandem quid fudorifera praestent, breuibus exponere licet. Haec enim cum semper hominibus pituitoso habitu corporis praeditis minus noceant, hinc quoque nostratibus felicius exhiberi poterunt. In primis tunc temporis, quando materia in corpore extricata fudoriferas vias petit, vel vbi suppressa transpiratio morbos inducit, ea ipsa necessaria erunt. Vbi vero nimia calefacentia aliena sunt, id, quod de putridis praesertim morbis valet, dia-phoresis autem sustinenda est, fortiora hinc fugienda sunt, acetum vini vero egregium istud remedium exhibendum est.

## §. 25.

*Medicinae inter Liuonienses progressus.*

Postquam itaque statum morbosum atque sanum nostratum exposuimus, nihil reliquum esse videtur, quam vt notitiam, quam ipsi de morbis suis habent, atque remedia, quibus vtuntur, breuioribus commemoremus. Haec enim non tantum ad historiam rei, sed etiam ad illum, quem (§. 21. 22.) de morbis dedimus catalogum illustrandum valebunt.

Sicuti omnes morbi plerumque in vniuersales et particulares diuiduntur (§. 21.), sic etiam ipsa, quam habent Liuonienses morborum diuisionem, (vtpote quorum nomina ab optimo Patre acceptas nunc tradimus) forte generali omnium morborum similis videtur.

Quo

e) Cels. de re medica Lib. 2. cap. 8.

Quod enim ad vniuersales spectat, sequentes in eorum numerum referuntur:

	<i>Denominationes Lettica</i>	<i>Eſtonicae.</i>
Febris.	Drudſis.	Kail, Kulm, toebbi.
Continua acuta.		
s. catarrhal. maligna.	Karſta Gulla.	
Purpura.	Frieſeles.	Penikeſſet Laadſed.
Variolae.	Pakkes.	Rouged, hernal, pokkat.
Morbilli.	Mafeles.	Teetet, Sured, Laadſed.
Scarlatina.	Flekkes.	
Scabies.	Ischifchana.	
Lues venerea.	Pranzofchi.	Kunni toebbi, pranſuſſe toebbi, wenne kaern.
Eriſipelas.	Rofe.	

### Particulares vero diuidunt, in

Capitis morbos, quibus subordinantur.	Galwa Saphes.	Hul toebbi.
Oculorum adfectus.	Azu Waina.	
Pectoris adfectus. ſiue generalit. Pleuritis.	Pakruschu S.	
Huc ſpectat Grauedo.	Eenahſis.	Koojas, Külgepusk, pisti toebbi.
Abdominis m. Dysenteria.	Wedera S. Wedera laifchana S.	Koehho toebbi, werri toebbi.
Offium morbos. Artritis.	Winnam zaureet.	
Malum hystericum ap- pellant	Kaulu Saphes. Melmenu Sehrga.	Lun wallo toebbi. Emma toebbi.
	Mahtes waina.	

En! itaque morbos eorum praecipuos; videamus nunc quomodo methodus medendi a nostratis instituta diiudicanda veniat. Quatuor in primis ab iisdem in uſum recepta fuit remedia, raphanus nempe, ſpiritus frumenti, balnea et abdominis frictiones. Raphanus licet ob flatuſ, quos generat, debilioribus moleſtus eſſe ſolet, fortioribus tamen et validis hominibus admodum conueniens eſſe videtur, quoniam viſcidum in primis viis diſſoluit, hocque ſolutum

G 2

per

per vrinae vias expellit. Abdominis vero frictio, Laitischana, Brauzischana appellata, ad tollendam ventriculi plenitudinem et remouendos spasmos abdominales, idoneum fatis esse remedium arbitramur.

In febribus in primis intermittentibus, quas in adultioribus frumento et pipere curare solent, aliam in infantibus instituunt medicationem, quam sanctificationem (Swehtit) vocant, quaeque in eo consistit: colliguntur nimirum vel ligni scobes, vel corii particulae vel etiam ossa; quibus succensis infans fumo tamdiu exponitur, usque dum sensibus obnubilatis, effectus febriles remittant; sic autem in validis quidem viscidum stagnans collatoria corporis transire et ex corpore dissipari posse, debilioribus autem methodum hanc non nunquam noxiam esse, obseruationes tradunt<sup>f</sup>).

### §. 27.

#### *Conclusio.*

Haec sunt, quae de Liuoniensium Medicinae statu tradere nobis licuit: rogamus interim, ut primitias academorum horum laborum, aequi bonique suscipiant B. L. nec malam in partem interpretentur, si forsan quaedam occurrant, quae melius dici potuissent. Ea enim diligentius exponere tum festinatio operis prohibuit, tum ipsius ingenii tenuitas recusauit. Quare ne voluntati magis, quam inge- nio et viribus indulgeant, deprecamur.

f.) Liefl. Landw. §. 56. 2 Anhang.

